

Terentius TUNBERG

QUIBUS MODIS COLLOQUIORUM LIBELLI A PRAECEPTORIBUS
AD PUEROS INSTITUENDOS SAECULIS XVI ET XVII ADHIBITI SINT

Colloquiorum libelli, quibus continentur dialogi breves, qui locutionibus sermonis cottidiani propriis scatent, ante litterarum renatarum aetatem videntur esse scripti quidam, sed perpauca.¹ Saeculo autem XVI et ineunte saeculo XVII tot dialogi ad usum linguae Latinae illustrandum et patefaciendum editi sunt, quot vix possunt enumerari.² Cur tot opuscula huiuscemodi in tantillo temporis spatio composita et in usum publicum evulgata sunt? Ratio huius rei non magno negotio, nisi quid nos fallit, quaedam reddi potest.

Romano imperio in terris ad occidentem spectantibus iam deleto, usus tamen linguae Latinae diu exstabat. Etiam si suo quaeque gens sermone vernaculo utebatur, iuvenes aut ecclesiae aut regimini civitatum destinati linguam Latinam discebant, non solum ut artes atque theologiam e libris Latine scriptis discerent, sed etiam ut ipsi eadem lingua ad cogitata sua cum aliis communicanda et ad posteros tradenda uterentur. Nec solum Latine scribebant, usum etiam quendam Latine loquendi et sermocinandi conservabant.³ Talis enim linguae Latinae usus in monasteriis et in ludis litterariis diu colebatur, et mos inde a saeculo duodecimo post Christum natum in academiis maioribus vel in studiorum universitatibus (quae vocantur) exstabat, ut praelectiones ac disputationes scholasticae lingua Latina coram artium liberalium studiosis haberentur.

Pueri in ludis et lyceis commorantes legibus durissimis (et, secundum sententiam nostram, pessimis) constringebantur: cuius rei testis est Ioannes Posselius Germanus, professor Rostochiensis, rei scholasticae peritus.

Ut autem haec scribendi exercitia diligenter et fideliter colenda sunt, sic et Latine loquendi exercitatio [...]

¹ Plura de huiusmodi opusculis discimus e libris, quos composuerunt Dickey, Gwara, Stevenson.

² Ut nonnulli dialogorum scholasticorum (vel "colloquiorum") auctores memorantur in duobus libris optimis, quos scripserunt Masseur et Bömer, ita multi alii nobis innotuerunt, quorum nomina in neutro libro indicantur.

³ Libri quidem scholastici plerique omnes, quibus ars grammatica tradebatur, et commentarii, quibus opera poetarum veterum explicabantur, Latine sunt scripti: ne autem credamus magistros solitos esse omnia coram parvulis prima linguae Latinae rudimenta discere ingredientibus semper Latine dicere! Immo magistri sua quisque lingua vernacula in coetu parvulorum liberrime utebantur ad omnia necessaria explicanda. Etiam in illis regionibus ubi consuetudo Latine colloquendi in ludis literariis praecipue servabatur (velut in Germania, in Batavia, in Gallia, etiam alibi), non ab ipso institutionis initio, sed (plerumque) post annum secundum exigebatur a parvulis ut constanter et continenter Latine loquerentur. Etiam apud discipulos paulo peritiores sermoneque Latino assuefactos aliquando a magistris usurpabatur lingua patria. Plurima de institutione Latina, quae aliter alio tempore in alia regione vigeat, ex operibus discimus, quae magna cum cura composuerunt Black, Hoven, Hunt, Sheffler, Watson, Willemson. Plura nos quoque de hac institutione diximus (Tunberg, pp. 19-21).

nequaquam negligi debet. Quod quo rectius fieri possit, *custodes seu 'coricaei'* constituendi sunt, qui et iuniores Teutonice loquentes et grandiores vel Germanismis vel soloecismis vel denique barbarismis utentes *annotent et ad magistrum defera<n>t*, a quo iusta poena afficiantur. Utrumque enim exercitium Latine scribendi et loquendi in Latinis scholis vigere debet, nec alterum ab altero separari potest.⁴

In colloquiis quoque, h.e. in ipsis dialogis scholasticis, saepe fit mentio "Corycaeorum," vel puerorum, qui praemia accipiebant ut essent speculatores ac delatores, quorum erat munus ut nomina discipulorum sermone vernaculo loquentium magistro indicarent. Huiusmodi delatores nomen traxerunt e Graecis, qui in Coryco promunturio antiquitus habitaverant piratasque de navium commeatu certiores facere soliti erant.⁵

Etsi lyceorum et academiarum rectores tristissima quaedam et dira discipulis leges scholasticas violantibus minabantur, vix dubitare possumus quin tales leges aliquando neglectae sint. Immo de legibus ad usum linguae Latinae pertinentibus flagitiose neglectis non unus scriptor queritur.⁶ At leges quibus linguae Latinae usus ab omnibus exigebatur non ex nihilo ortae sunt – ortae sunt e vera vitae scholasticae condicione atque ex necessitate quadam communi non solum discentibus, sed etiam praeceptoribus imposita.

Medio, quod vocatur, aevo, h.e. paulo ante illam aetatem, qua tot colloquia scholastica tam crebro in publicum emitti coepta sunt, etiam grammatici magni et philosophi ac praesertim dialectici lingua quadam Latina utebantur, quae magnopere a normis scribendi apud auctores Romanos conspicuis declinaverat. Normae sermonis Latini, quas apud scriptores Romanos cernimus, nusquam diutius, nusquam pertinacius neglegebantur, quam in sermone cottidiano discipulorum, qui in ludis litterariis quadam necessitate cogebantur Latine loqui. Audiatur Franciscus Sylvius Ambianus, Gallus, grammaticus perdoctus, qui quidem quadam superlacione ac traiectione utitur corruptam discipulorum Latinitatem deridens, sed vitia nobis saltem quaedam acu tangere videtur.

Primarii enim scholarum magistri usu sermonis vernaculi eos <discipulos> tam severe prohibent, ut, si qui ab observatoribus clam dispositis hoc sermone loqui deprehendantur, poenas graveis expendant. Igitur quoniam Latine loqui coguntur: Latinum sermonem putant omnem eum qui Latini formam habeat. Quae causa est, ut barbara multa ipsi sibi confingant... Nihil improbant magistri, modo ne sit sermo domesticus (...). Ei autem loquendi vitiosae consuetudini vim non parvam adiungunt ii, *qui dialecticae auditores sunt*, qui qua lingua, quo sermone loquantur, modo se intelligant, securi sunt (...). Quare apud me auditorum sermo vernaculus quam rusticus [h.e. quodammodo Latinus sed corruptus] praeponderet, laborandumque praeceptoribus potius est, ut proprie Latineque loquantur discipuli, quam ea ne lingua utantur vernacula...⁷

At homines docti, qui aetate litterarum renatarum floruerunt, cum omnes artes, tum praecipue linguam ipsam Latinam ad formas et normas a Romanis antiquis traditas reducere conati sunt. Magnam igitur operam non tantum arti Latine scribendi, sed etiam sermoni cottidiano colloquiisque Latinis dederunt, omnibusque modis efficere conabantur ut pueri in scholis

⁴ Ex p. 145 libelli, cui index *Johannis Posselii orationes Octo*.

⁵ Tunberg, p. 25

⁶ Tunberg, pp. 33-38.

⁷ In f. iii^f operis, cui titulus *Progymnasmatum in artem oratoriam Francisci Sylvii Ambiani... centuriae tres*.

versantes melius et emendatius loquerentur. Excolebatur haec sermocinandi et pro re nata loquendi facultas praecipue a magistris, qui domicilia ac sedes in Germania, in Batavia, in Gallia habuerunt.⁸

Nonnulli igitur litterarum praeceptores, velut Erasmus, Vives, Corderius, Sturmius, Pontanus, alii permulti dialogos breves vel “colloquia,” quod nomen nonnumquam usurpatur ad huiusmodi dialogos indicandos, composuerunt, ut iuvenes sermonis cottidiani sed integri et puri exempla in promptu haberent. Quod propositum satis perspicue declarat Desiderius ille Erasmus Roterodamus, hisce verbis:

Praecepta volo esse pauca sed optima: quod reliquum est arbitror petendum ex optimis quibusque scriptoribus, aut ex eorum colloquio, qui sic loquuntur ut illi scripserunt.⁹

Quod tot dialogi familiares tam cito sunt scripti et editi, id nobis indicio est quantopere litteratores et praeceptores, qui studia humanitatis illis saeculis colebant, efficere contenderint, ut iuvenes pure et emendate in congressu familiari colloquerentur. Est sane dubitandum num multi discipuli et iuvenes et litterarum Latinarum satis imperiti emendate sermocinari valuerint - etiam huiusmodi dialogis freti: sed est operae pretium intellegere quo proposito tot grammatici tales dialogos composuerint.

Etsi manifestum est haec opuscula esse maximam partem ad rem scholasticam destinata, haud multa supersunt testimonia, quibus freti possumus mente concipere qua ratione huiusmodi dialogis usi sint et praeceptores et discipuli. Exstant autem hic et illic nonnulla indicia, quorum quaedam excutere nunc conabimur.

Minime mirum si tales dialogi locutionibus scatent, quae sunt ex Terentii fabulis et ex epistulis Ciceronis – hoc est e fontibus purissimis – haustae. At argumenta colloquiorum saepe ad res hominibus antiquis et Romanis ignotas, sed pueris vitam saec. XVI agentibus pernotas spectant. Asseverat Iacobus Pontanus, homo doctissimus et colloquiorum auctor praeclarus, cuius *Progymnasmata latinitatis* exeunte saec. XVI in publicum data iterum iterumque a typographis edita sunt, pueros argumenta colloquiorum multo facilius multoque citius quam res a Cicerone in epistulis tractatas intellegere posse.

Fatendum est res *iis epistulis* <Ciceronis> inclusas laboriosius et imperfectius a pueritia tenerisque ingeniis comprehendere, quam quae cadunt in *Dialogos*, quorum argumentis atque rebus nihil est usitatius, nihil notius, nihil magis obvium atque domesticum ...¹⁰

Mos non tantum apud pueros et tirones sed etiam inter litteratores satis peritos illo aevo erat ut scriptorum Latinorum opera legentes locutiones inde et sententias pulchriores et scitu dignas

⁸ Praeceptores autem, qui litteras et studia humanitatis in lyceis Italicis et Hispanicis tractabant, videntur multo minus strenue efflagitasse ut discipuli Latine et ex tempore colloquerentur (Tunberg, pp. 49-59).

⁹ Allen, IV, p. 209.

¹⁰ Locus invenitur in f. B2 et in praefatione operis, c.i. *Jacobi Pontani de societate Iesu Progymnasmatum Latinitatis.... volumen...*

excerperent memoriaeque mandarent.¹¹ Unde nobis licet coniectare multos praeceptores solitos esse poscere a discipulis ut colloquia, videlicet dialogos breves de vita cottidiana scriptos memoriter edicerent. Hoc exercitium saepe fuisse primum suspicamus.

Oportuit iuvenes non solum sermonem bonum e colloquiis discere, sed etiam mores bonos: id quod aperte testatur Erasmus de suis colloquiis disserens:

... in eo libello non trado dogmata fidei, sed formulas loquendi Latine: tametsi quaedam admixta sunt obiter quae faciunt ad bonos mores.¹²

Ex ipsa forma colloquiorum nonnumquam fit ut aliquid de rationibus docendi ab auctore adhibitis discamus. Martinus Duncanus, litterator Batavus, viam Erasmi secutus in verborum et locutionum copiam praecipue incubuit. Constanter colloquia adhibuit, ut doceret quo pacto eadem res vel idem argumentum multis modis dici posset. Inspiciamus locum excerptum ex Duncani colloquio, quod *De studio et de ludo* inscriptum nobis videtur aptissimum unde sermo cottidianus a pueris discatur.

De studio et de ludo

LEONARDUS CLEMENTINUS EGMONDANUS, & NICOLAUS FRANCISCI FIL. GUORMARIANUS^[L]_[SEP]: Scin Nicolae? Hodie nobis fiet ludendi copia: dabitur nobis ludendi potestas: hodie feriamur: a prandio studiorum remissione gaudebimus, et nos lusibus recreabimus. Tempore pomeridiano ociabimur, et studiis soluemur, animosque nostros studio fessos ludendo refocillabimus.

N: Quis nam istud scis? Quo argumento colligis istud? Quibusnam ex rationibus istud tibi conficitur? Unde istam opinionem duxisti? Unde in istam spem venisti? Unde quaeso tibi ventum est in istam spem? Qua ductus coniectura scis istud? Unde nam istud coniectas?¹³

Iacobus Pontanus putasse videtur colloquia sua posse aut privatim ab uno quoque discipulo et ab aliis separato legi et tractari, aut coram omnibus recitari et fortasse - si coniectare licet - in scaena quadam repraesentari.

Ergo si Dialogorum sermo totus fuerit (esse autem debet) antiquus, concinnus, dilucidus, proprius, lautus, ac salibus conditus, cum sit etiam familiaris, *nonne ad loquendum scribendumque haud mediocriter iis sive legendis, sive audiendis profectum iri credendum est?*¹⁴

Si quis autem editionem Pontani *Progymnasmatum* Ingolstadii anno 1599 curatam diligenter scrutatus erit, statim animadvertet unum quemque dialogum esse annotationibus, immo iusto commentario ab ipso Pontano instructum. Pontanus in annotationibus, quae sunt Dialogis adiunctae, id saepe agit, ut ostendat quibus modis quaedam locutiones hominibus Latine et familiariter sermocinantibus sint usurpandae, et ad qualia colloquia, ad qualia argumenta sint aptae. Verisimillimum igitur videtur Pontanum suos ipsius dialogos scholasticos, velut opera

¹¹ Haec ratio legendi et discendi dilucide explicatur ab Anna Moss, in libro, qui *Renaissance Truth* inscribitur.

¹² Allen, V, p. 91.

¹³ Locus descriptus ex f. 27v opusculi, cui index *Praetextata Latine loquendi ratio*.

¹⁴ Ex p. B3v tomi I *Progymnasmatum* Pontani - quod opus supra memoravimus.

cuiuslibet auctoris probati, coram discentibus praelegere et commentariis suis explicare solitum esse. Non unus Pontanus tali modo colloquia sua coram discipulis enarrasse videtur - alii etiam grammatici solebant dialogos suos et proprios praelegere, velut Petrus Mosellanus, si quid ex epistula ab eodem Petro *Paedologiis* praemissa iudicare licet:

Statim, opinor, videbit, quam facile et nullo paene negotio per eiusmodi fabulas velut quosdam gradus ad Terentii proprietatem ac Ciceronianam facilitatem prima illa aetas traduci potuisset. Quis autem laturus esset, immo quis non statim exhibiturus, si ex puerili persona tetricam istam senum sapientiam sonarem? Tametsi sunt his nugamentis nostris admixta quaedam, quae seria ducere videri possint, usque adeo, ut et hoc nomine ab Aristarchis istis vix tutus sim futurus. Sed malui ego decori paulisper oblitus paucula subinde aspergere, quae, *si pueris suis litteratores praelegant attente*, queant cum studiorum abusum tollere tum pueritiae mores ad Christianam regulam corrigere...¹⁵

Hermannus Schottenius Hesus, grammaticus perdoctus colloquiorumque auctor, sententias vel locutiones Latinas videtur coram discipulis dictasse (h.e. praelegisse), quas in unam colloquiorum seriem, quae discipulis esset subsidio, postea conguessit, si eius verbis fidem tribuere possumus:

... Latinas locutiones, quas hactenus satis abunde tibi tuisque commilitonibus litterariis dictavi, in unum hunc *Confabulationum* libellum conguessi...¹⁶

Maturinus Corderius, grammaticus peritissimus, qui in Normannia natus tandem in Helvetiam migravit, cuius *Colloquia scholastica* sunt per aliquot saecula et in nonnullis Europae regionibus saepenumero e prelis typographicis emissa, non uno in loco describit quomodo ipse suos dialogos in scholis tractare sit solitus. Nonnullis in editionibus *Colloquiorum scholasticorum* Corderii invenitur praefatio, in qua praeceptor explicat quomodo dialogi scholastici vel "colloquia" in coetu discipulorum usurpari queant. Magister (h.e. praefationis auctor) auditores suos in greges parvos dividere consuevit. Greges e binis ternisve discipulis constabant. In his gregibus id quod a magistro erat praescriptum (argumentumne an narratiuncula quaedam?) a discipulis repetebatur. Discipuli in gregibus constituti etiam aliquot breves colloquendi formulas a magistro paratas in promptu habebant, quibus freti de argumento praescripto Latine sermocinarentur. Praefationis auctor insuper suadet ut praeceptores "ipsa colloquia discipulis aliquoties" interpretentur et doceant "quomodo <discipuli> in his <colloquiis>, et aliis eius generis... sese et domi et in schola debeant exercere, ad idque illos identidem" hortentur:

... pueri ... omnibus modis incitandi sunt, ut in schola dum praeceptoris ingressum expectant, assuescant interea bini ternive id quod ab eo praescriptum fuerit simul repetere. Plurimum proderit haec illis iucunda exercitatio, eosque interim ab otio, lascivia, multisque aliis rebus malis, quibus offenditur Deus, avertere poterit. Sed quia sine puerili colloquio eiusmodi repetitiones tractari non solent, pueri autem ipsi, nisi instituti fuerint, nihil aliud quam barbare loquuntur; idcirco, ut Latine inter se loqui paulatim discant hac de re, hic aliquot breves colloquendi formulas proposuimus. Caeterum in praeceptoris diligentia situm erit, ut haec ipsa colloquia discipulis aliquoties interpretetur, doceatque quomodo in his, et aliis eius generis, (quae tradere ipse poterit) sese et domi et in schola debeant exercere, ad idque illos identidem cohortetur...¹⁷

¹⁵ In praefatione operis, cui titulus: *Paedologia Petri Mosellani Protegensis*.

¹⁶ In p. 44 operis, quod inscribitur *Hermannus Schottennius Hesus, Confabulationes*.

¹⁷ Verba descripta e praefatiuncula, quae in p. 3 editionis *Colloquiorum* Corderii anno 1819 paratae invenitur. Haec editio est multis annis post Corderii mortem curata, sed vix dubitare possumus quin haec praefatio aut ab ipso Corderio sit composita, aut ab alio praeceptore, qui colloquia ad discipulos erudiendos adhibere solitus sit.

Itaque hic quoque magister, non aliter quam Pontanus, Mosellanus, Schottenius, dialogos suos coram discipulis praelegere et explicare solebat.

Ad hanc nostram oratiunculam sufficiant haec pauca indicia - vel libamina. Dubitare non possumus quin plura de docendi rationibus disci possint, si quis ipsa colloquia et quo pacto in uno quoque colloquio res sint ordinatae inspexerit - et auctorum praecepta vel observationes diligenter intellegere conetur.

CONSPECTUS OPERUM (quae in hac commentatione sunt laudata)

Allen, P.S. ed., *Des. Erasmi Roterodami opus epistularum*, Tomi XII (Oxoniae, 1906-1965).

Black, R., *Education and Society in Florentine Tuscany* (Lugduni Batavorum, 2007).

“Italian Education: Language, Syllabuses, Methods,” in opere quod inscribitur *Language and Cultural Change: Aspects of the Study and Use of Language in the Later Middle Ages and the Renaissance*, ed. L. Nauta (Lovanii, 2006), pp. 91 – 112.

Humanism and Education in Medieval and Renaissance Italy. Tradition and Innovation in Latin Schools from the Twelfth to the Fifteenth Century (Cantabrigiae, 2001).

Bömer, A., *Die lateinischen Schülergespräche der Humanisten*, Tom. I, Tom. II (Berolini, 1897 - 1899).

Corderii, M., *Maturini Corderii Colloquia scholastica commodiori (sic) nunc ordine quinque libris composita et quibusdam aliis ad commodiorem juventutis institutionem pertinentibus operā Ramberti Horaei exornata*, editio nova et correcta (Neocomi: apud C.-H. Wolfrath typographum, 1819).

Dickey, E., *Learning Latin the ancient way: Latin textbooks from the ancient world* (Cantabrigiae, 2016).

Duncani, M., *Praetextata Latine loquendi ratio per colloquiorum formulas, nunc ioculariter, nunc serio, studiosis pueris non modo bene loquendi, sed etiam bene vivendi modum praescribens, et miscens utilia dulcibus*, auctore Martino Duncano Quempenate Guormarianorum Pastore in Hollandia (Antverpiae, apud Ioannem Latium, 1562).

Gwara, S. ed., *Latin colloquies from pre-conquest Britain*, in serie librorum c. n. Toronto Medieval Latin Texts (Toronti, 1996).

Hoven, R., “Programmes d’écoles latines dans les Pays-Bas et la Principauté de Liège au XVI^e siècle,” in opere quod inscribitur *Acta conventus neo-latini Amstelodamensis. Proceedings of the Second International Congress of Neo-Latin Studies. Amsterdam 19-24 August 1973*, edd. P. Tuynman, G. C. Kuiper, E. Kessler (Monaci, 1979).

Hunt, T., *Teaching and Learning Latin in Thirteenth-century England*, Tom. I, Tom. II, Tom. III (Cantabrigiae, 1991).

Huppert, H., *Public Schools in Renaissance France* (Urbanæ et Chicagiae, 1984).

Massebieau, L., *Les colloques scolaires du seizième siècle et leurs auteurs (1480 – 1570)* (Lutetiae Parisiorum, 1878, reimp. Genavae, 1968).

Moss, A., *Renaissance Truth and the Latin Language Turn* (Oxoniae, 2003).

Pontani, I., *Jacobi Pontani de societate Iesu Progymnasmatum Latinitatis, sive dialogorum volumen primum, cum annotationibus. De rebus literariis. Editio octava* (Ingolstadii, excudebat Adam Sartorius, 1599).

Possellii, I., *Johannis Possellii Orationes Octo, Habitaе In Publicis Congressibus Academiae Rostochiensis* (Francofurdi ad Moenum, impressum typis Ioannis Spiessii, 1589).

Schottennii Hessi, H., *Hermannus Schottennius Hesus, Confabulationes tironum litterariorum* (Cologne, 1525), ed. P. Macardle, in serie librorum c. n. Durham Modern Language Series (Mancestriae, 2007).

Sheffler, D. L., *Schools and Schooling in Late Medieval Germany: Regensburg, 1250-1500*, in serie librorum c. n. Education and Society in the Middle Ages and Renaissance, 33 (Lugduni Batavorum, 2008).

Sylvii (Silvii), F., *Progymnasmatum in artem oratoriam Francisci Sylvii Ambiani viri disertissimi centuriae tres. Nunc quam antea emendatiores in lucem editae* (Venetiis: apud Nicolaum de Bascarinis sumptu Melchioris Sessae, 1545).

Stevenson, W. H., *Early scholastic colloquies* (Oxoniae, 1929).

Tunberg, T., *De rationibus quibus homines docti artem Latine colloquendi et ex tempore dicendi saeculis XVI et XVII coluerunt*, in serie librorum c. n. Supplementa Humanistica Lovaniensia, 31 (Lovanii, 2012).

Watson, F., *The English Grammar Schools to 1660. Their Curriculum and Practice* (Cantabrigiae, 1908).

Willemsen, A., *Back to the Schoolyard. The Daily Practice of Medieval and Renaissance Education* (Turnholti, 2008).

clatot@uky.edu